



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

69 Ius patronatus pretio conducens simoniacus, sed non excommunicatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

nisi Papa, attenta eius ignorantia, & bona fide, illud sibi potest confirmet.

DECISIO LXVIII.

Ex consil. 66. alias 88.

68 **C**um ablatio ordinis, vel usus eius actus sit potestatis spiritualis, & nouimus de verb. sign. ca. degradatio. de pœnit. in 6. quæ ab episcopatus ordine pendet, non minus quàm eiusdem ordinis collatio, cap. 1. de simon. Episcopus ordinarius pro mercede degradationis aliquid petens simoniacus efficitur: ex Nau. in Man. c. 23. num. 100. Quamuis enim possit quis cogi ad conseruandam piam consuetudinem dari aliquid temporale pro pia sustentatione ministrantis sacramenta, cap. ad Apostolicam. de simon. & ait Conc. Trid. sess. 24. ca. 4. de ref. pro pretio tamen, vel mercede illius actus peti non potest ex Nau. in Man. c. 23. nu. 101. & 102. & omnis talis consuetudo a Conc. Trid. ubi sup. damnatur.

DECISIO LXIX.

Ex consil. 67. alias 87.

69 **E**piscopus ius patronatus, & presentandi ad beneficium pretio alicui concedens, simoniam committit, in excommunicationem tamen contra simoniacos latam ab extrau. 2. de simo. non incurrit: cum hanc solum simoniaci in ordine, aut beneficio incurrant, vt ait Nau. in Man. c. 23. nu. 101. & 111. Ius autem patronatus nec beneficium, nec ordo est, cum eius laicus capax sit, cap. Quod autem, & c. cum dilectus. de iu. patr.

DECISIO LXX.

Ex consil. 68. alias 1. Np. prelati vices suas.

70 **C**onducens, aut emens pecunia vicariatum temporalem Episcopi, vel Rectoris, simoniam committit; extrau. 2. de simo. & c. ne prela. vices suas cum emptio, aut venditio rei spiritualis, vel ei annexæ, qualis est iurisdic. spiritualis, simoniacæ sit, ex Nau. in Man. c. 23. nu. 100. conductor vero talis, vel emptor iurisdictionem, vel officium huiusmodi emptum statim relinquere tenetur; eo quod talis conductio contractus simoniacus, & nullus est, c. Quam pio, 1. q. 2. & c. si de pact. nec nisi eo dimisso absolui potest. Argu. c. si res aliena. 1. q. 6. Quia tamen vicaria spiritualis beneficium non est ex Fel. in c. postulasti. de rescr. excommunicationem ipso iure non incurrit, cum hanc solum simoniacus in ordine, vel beneficio incurrit, vt sentit Nau. in Man. c. 23. num. 111.

DECISIO LXXI.

Ex consil. 69. alias 44.

71 **L**itigantibus duobus super beneficio, si vnus eorum secretò cum quibusdam amicis alterius conueniat, altero non consentiente, vt vnus eorum cedat iuri suo, si quod habet, & alter summam quandam pecunie soluat; qui tamen ad pœta possessione prædictas pecunias cedenti soluere nolit, sed eas amici eius postea soluit; huiusmodi concordiam facientes simoniam realem ex vtraque parte completam, accipiendo, & soluendo pecunias pro re spirituali committunt ex Nau. in Man. c. 23. nu. 109. & excommunicationem incurunt, & irregularitatem si celebrant; pecunia vero Ecclesie, cui facta est iniuria, restituenda est, c. de hoc. de simo. & talis concordia nullius valoris est, & absolutio a simonia præfata per Datarium Papæ quoad forum exterius fieri debet, ita vt Pœnitentiarius quoad illud forum, absoluedi facultatem non habeat, sed solum quoad forum interius. Alter vero qui non consentit, tuta conscientia beneficium possidet, nec pecunias dictas soluere debet.

DECISIO LXXII.

Ex consil. 70. alias 38.

72 **P**resbyter regularis, qui a suo Abbate de quodam officio in Ecclesia sui Monasterij promissus est, quod per aliquot annos pacifice possidet, & ab Abbate successore coactus, illud in manibus eius renunciat, cum pacto quod dictus Abbas cum de alio Monasterij illius officio providebit, quod

cum effectu postmodum facit, quod idem officium per aliquot annos pacifice possidens, ab alio Abbate successore inquietatus, ne officio priuetur, & sine officio diffamatus maneat, dicto Abbati pecunias dat; quamuis sic renuncians beneficium ecclesiasticum regulare cura pacto de clauda sibi compensa sufficienti, quam postea accepit, simoniam realem committat; alteri tamen Abbati dando pecunias ne super officio secundo in recompensationem accepto inquietetur, nullam simoniam admittit; cum post acceptam possessionem pacifice retentam, vexationem iniustam redimere licitum sit; cap. dilectus, 2. de simon. officium autem illud secundum iniuste retinet quidem ob pecunias datas, sed quia illud in compensationem prioris beneficii virtute pacti simoniace, male accepit, per quam acceptioque simoniam realem ab vtraque parte completam commisit; ex Nau. in Man. c. 23. nu. 100. præsertim cum iure communi Abbas superior officijs, quæ illis conferit, ad numerum iam sine causa iusta, Monachos suos prius possit, cap. cum ad monasterium, §. tales. de stat. monach.

DECISIO LXXIII.

Ex consil. 71. alias 86.

73 **Q**ui pro admissione ad habitum religionis aliquid dat, vel accipit, simoniam ex eo committit, quod d. ingressus Monasterij quidam spirituale sit, quoniam de reg. & c. ex insinuatione. de simon. p. a. etiam d. uio, & accipio habitus, vel aliquid spirituale est, vel saltem spirituali annexum, cum hæc de laico ecclesiasticum faciat, adeo vt eum percipiens excommunicationem incurrit, ca. religiosus, §. 1. de sent. excommun. in 6. & proinde tales dantes, & accipientes pecunias pro ingressu religionis simoniam realem committunt, & habitum suscipiens eum relinquere tenetur; potest tamen dimisso habitu, & purgata simonia de nouo redipi, si receptio non fuerit scandalosa.

DECISIO LXXIV.

Ex consil. 72. alias 7.

74 **E**piscopus, qui Archipresbyterum conijcit in carcerem, & ubi, & mortuus est, & pro eius victu viginti aureos expendit quem Archipresbyterum alteri confert, sed ante collationem illi dixit, ego feci tot expensas pro alendo prædecessorem tuum coniectum in carcerem, dabo tibi hoc beneficium, & tu ex fructibus ipsius dabis mihi viginti aureos, quos idem Archipresbyter electus postea soluit; quamuis in foro conscientie simoniacus iudicandus non sit, quia non erant principaliter dati pro beneficio, sed pro impensis factis in alendo beneficiario mortuo, cuius morte beneficium vacauit, ex Nau. in Man. c. 23. num. 102. & 103. in foro tamen exteriori simoniam commisisse iudicabitur, cui iuste præsumi possit prædictam pecuniam ad beneficii conferendum principaliter data, & accepta esse, arg. c. 1. de simo.

DECISIO LXXV.

Ex consil. 73. alias 96.

75 **C**lericus bona fide, ignarus de simonia per meditationem commissa, beneficium impetrans, habita de simonia notitia beneficium illud relinquere tenetur, & non indiget collatione eiusdem; cum prior ob simoniam commissam nulla, & irrita fuerit, cap. quicunque, ca. præsertim, 1. q. 5. & c. de simoniace. & c. de regularib. de simon.

DECISIO LXXVI.

Ex consil. 74. 75. alias 28. 29.

76 **R**esignans, & resignatus conuenientes, vt exprimatut maior valor beneficii, quam verè sit, vt sic resignatione consecuta maior pensio à Papa constituatur, quam constituta fuisset, si valor verus expressus fuisset, quamuis ita mentiendo mortaliter peccent, dictaque expressio dolosa falsitatis gratiam sciat surreptitiam, & per consequens nullam; c. super literis. de rescrip. & ca. et si legib. 2. q. 2. simoniam tamen non committunt; Non enim omnis conuentio circa beneficia simonia est, sed illa sola, quæ principaliter dationem